



## The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA ANCONITANAE\*** PROVINCIA ECCLESIASTICA ANCONITANA IN ITALIA CONDITUR. Qui apostolico officio instructi catholicae Ecclesiae gubernationi praeficimur, eo studio urgemur, ea voluntate quo aptius temporumque locorumque adiunctis accommodatius singularum Ecclesiarum regimen fiat. Quapropter, petitis accedendum esse censuimus ut Anconitanam archiepiscopalem Sedem ad metropolitanam dignitatem eveheremus, nova eiusdem appellationis provincia ecclesiastica constituta. Etenim, id esse animorum bono maximopere cessurum nemo est qui in dubium revocet. Apostolica igitur Nostra potestate, postque rite sacros Ordinarios auditos, quorum negotium interesset, sequentia decernimus ac iubemus. Dioecesim *Anconitanam*, adhuc Apostolicae Sedi directo subiectam, ad metropolitanam Ecclesiae gradum attollimus, iustis iuribus et privilegiis concessis, ad normam iuris communis, cui dioeceses Aesina et Auximana suffraganeae erunt, prae oculis videlicet habita norma decreti *Concilii Vaticani II* «*Christus Dominus*», n. 40. Item Sacrum Anconitanum Antistitem dignitate Metropolitanae perpetuo insignimus, cui, una cum privilegiis, congrua simul officia et obligationes imponimus, eiusdem ordinis Praesulum propria. Haec autem quae decrevimus ad effectum adducat venerabilis Frater Romulus Carboni, Archiepiscopus titulo Sidoniensis et in Italia Nuntius Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero negotium perfecerit sueta documienta exaranda curet atque ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda exit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum ex Arce Gandulfi, prope Romani, die quintodecimo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus Nostri decimo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

CAROLUS Card. CONFALONIERI

S. R. E. Cancellarius

S. Congr. pro Episcopis Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Iosephus Massimi, *Protonot. Apost.*

Ioannes Calleri, *Protonot.*

*Apost.*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana